



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Locutio Dei Ad Cor Religiosi

Pawłowski, Daniel

Leodii, 1701

Manè, Doctrina practica. De perfecta intentione actionibus nostris
præfigenda.


Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)

Meditatio prima.

benedixeris mihi, per intercessionem pretiosissimæ Parentis Tuæ, S. Ignatii, & aliorum SS. Patronorum meorum.

Post hæc 1. delige Sanctum aliquem Patronum Exercitiorum. 2. Fac intentionem obtinenda Indulgentia per hæc exercitia. 3. Fac particularia proposita cavendorum, & faciendorum in Exercitiis. 4. Ordina mortificationes internas, & externas, &c. In fine, Pater, Ave, & Anima Christi, &c.



DOCTRINA PRACTICA

Tempore Matutino Diei
primæ relegenda.

*De perfecta intentione, actionibus
nostris præfigenda.*

1. **D**Ocent graves Theologi, inter quos Suarez & Vasquez tom. 3. in 3. part. disp. 13. sect. 31. & alibi, ad hoc, ut opera nostra sint meritoria, requiri intentionem saltem virtuales, seu ut quis operetur ex vi intentionis præteritæ, quæ moraliter influat, & causet actionem de præsentis: sic omnes actiones Religiosi per totam diem erunt meritoria, si manè Intentionem actualem pro tota die fecerit: hæc enim intentio imprimet animæ affectum, ex

quo omnes totius diei actiones sequentur & fluent, dummodo Intentio Matutina per aliam contrariam non retractetur aut interrumpatur.

2. Plus dicunt alii, dum asserunt, Intentionem istam ad omnes nostras actiones esse de Præcepto Charitatis: atque ita docet S. Thom. 2. 2. q. 69. a. 1. dum illa verba Apostoli 1. Cor. 19. *Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, censet esse præceptiva; explicat autem mentem suam, dum in QQ. disput. de Charit. ait: *Virtualiter referre omnia in Deum, cadit sub præcepto Charitatis*: quia, ut addit 1. 2. q. 100. a. 10 præceptum est, diligendi Deum ex toto corde, ad quod pertinet, virtualiter referre omnia in Deum, sic saltem ad minimum, ut si quæreretur ex homine, *Facisne hoc opus propter Deum? visne hoc opere laudare Deum?* dispositus sit ad respondendum promptè, *facio, volo.*

3. Certum est, Religiosum, sicut ex vi statûs sui tenetur proficere in via Dei, ita teneri ad istam Intentionem; Intentio enim ista est motus in Deum, atque ideo est initium viæ Dei. Hinc accurati servi Dei singulis actionibus: præsertim notabilioribus, actualem intentionem præfigunt, aliquot saltem verbis, e. g. *propter te Deus!* atque ad hanc accuratorem urget nos Regula

17. Summarii, in qua jubemur omnes, rectam intentionem habere circa res omnes particulares. Excelluit in hoc P. Nicolaus Lancicius, famâ Sanctitatis clarus, qui dono DEI eò devenerat, ut singulos passus, dum ~~inter~~cederet, & singulas litteras, dum scriberet, actuali intentione offerret Deo, dicens in mente, *Propter Te!* idemque faciendum aliis suadebat.

4. Sicut autem perfectio Christiana, juxta Apost. ad Ephes. 3. consistit in quadam comprehensione Latitudinis, Longitudinis, Sublimitatis & Profundi, ita perfecta Intentio suam habet Latitudinem, Longitudinem, Profunditatem & Sublimitatem, ut videbimus.

§. I.

Latitudo Intentionis.

Complectitur hæc totam actionem, & omnes ejus etiam minimas circumstantias, extensionem, intentionem, &c. si enim in observanda lege DEI Jota unum aut unus apex non debet præteriri, etiam in laudando Deo nec minimus apex debet præteriri, quin offeratur Deo.

2. Complectitur totum hominem, cum omnibus potentiis & viribus, tam

animi quàm corporis, ita ut quis intendat laudem DEI se toto : tantâ latitudine ferebatur in Deum , qui dicebat Psal. 102. *Benedic anima mea Domino , & omnia , qua intra me sunt , &c.* Et : *omnia ossa mea dicent , Domine , quis similis tibi ?* Psal. 34.

3. Complectitur quintuplicem fructum, cuilibet bono operi hominis iusti annexum : nempe 1. *fructum adorationis & laudis* , juxta Apost. sup. cit. qui vult , omnia à nobis fieri in gloriam Dei. 2. *fructum gratiarum actionis* ; est enim realis gratiarum actio , facere opera grata Deo. 3. *fructum meritorium* augmenti Gratiæ & Gloriæ ; quem fructum respondere operibus hominis iusti , definit Concil. Trident. Sess. 6. can. 24. & 26.

4. *Fructum impetratorium* quorumcunque bonorum : est enim inter hominem iustum & Deum iste quasi contractus , *Facio , ut des* , ex testimonio ipsius DEI , Gen. 4. *Nonne si bene egeris , recipies ?* 5. *Fructum satisfactorium* , quem respondere cuilibet operi hominis iusti , colligitur ex verbis , post absolutionem Sacramentalem proferri solitis : *Quidquid boni fecerit , &c. sit tibi in remissionem peccatorum* : nempe quoad reatum poenæ ; reatus enim culpæ remittitur per Sacramentum Poenitentiae.

5. Complectitur motiva omnium virtutum , ex quibus simul sumptis

quodlibet opus fieri potest, ita ut opus illud sit imperatum ab omnibus virtutibus, perinde atque Contritio, procedens ex motivo Charitatis, est actus imperatus charitatis.

6. Complectitur intensionem & Extensionem ad omnem possibilem fervorem, devotionem, amorem & desiderium majoris gloriæ Dei: fundatur hæc Latitudo in verbis Ecclesiastici, c. 43. *Benedicentes Dominum, exaltate illum, quantum potestis; major est enim omni laude.*

§. II.

Longitudo Intentionis.

EXtenditur hæc I. ad omnia & singula momenta totius vitæ, juxta illud: *Psallam Deo meo, quamdiu fuero, Psal. 145.* II. ad totam æternitatem & ultrà, si quid ultrà possibile foret, innuente id Prophetâ, *Nos autem ambulabimus in nomine Domini Dei nostri in æternum, & ultrà, Micheæ 4.* III. ad volendum faciendumque aliquid propter Deum semel pro semper, imitando Deum, cujus verbum manet in æternum: *Semel, inquit, juravi, &c. Psal. 88.* IV. ad retractandum omne tempus præteritum, non in obsequio Dei transactum: sic retractabat Job diem, in qua natus est. *Job. c. 3.*

§. III.

Profunditas Intentionis.

EXtenditur I. ad humiliationem sui juxta mensuram propriæ vilitatis, & nihili peccatorum: in talem profunditatem demiserat se Psalmista, dum *De profundis* clamabat ad Dominum, Psal. 129. II. ad retractationem, & compensationem omnis mali, tam à se, quàm ab omni creatura commissi: actus iste imperatur à virtute Pœnitentiæ juxta doctrinam Theologorum. III. ad conjunctionem cum omni etiam irrationali creatura, omnium nomine laudando Deum, uti videre est in Cantico Trium Puerorum, & alibi, ubi etiam *Dracones* invitantur ad laudandum Deum, Psal. 148. IV. ad conjunctionem sui cum omnibus peccatoribus, imò etiam dæmonibus, atque omnibus damnatis, volendo supplere laudem, quæ Deo ab iis denegatur: laudabiliter fit hæc adimpletio defectuum laudis Dei, non minùs quàm laudabiliter S. Paulus adimplebat ea, qua deerant *Passionum Christi*, in carne sua, pro Corpore Christi, quod est Ecclesia, Coloss. 1.

§. IV.

Sublimitas Intentionis.

E Levare illa debet I. ad conjunctionem sui cum omnibus Sanctis, quoad omnes eorum : sic in Canone Missæ dicimus: *Accepta habere digneris, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, &c.* II. ad unionem cum pretiosissima Deiparente, volendo agere instar illius, seu Marianè; Maria enim est Mater nostra, & nos filii ejus non emancipati, qui in jure unum cum Matre censentur. III. ad intimam conjunctionem cum Christo, offerendo omnia per illum, & in illo, volendoque agere Christi formiter: hoc est, quod suadet Apostolus, *Omnia agere in nomine Domini Jesu*, ad Coloss. 3. IV. ad aliquam velut transformationem in ipsum Deum, offerendo actiones nostras plenissimè voluntati & gustui Dei, quia nimirum eas vult, & prout vult, tanquam juge ac perpetuum sacrificium, debitum Deo, velut omnium auctori, ac Domino vitæ & necis, idque unicè propter bonum ejus, & quia est summum bonum: fundatur hæc Elevatio Intentionis in illo Psal. 33. *Exaltemus nomen ejus in idipsum: & si ille juravit per semetipsum*, Gen. 22. nos quoque possumus laudare illum per seipsum.